

tuta, in quorum decreta potestatem non habent Episcopi, consequens fuit, ut solis Summis Pontificibus deberet relaxatio regulariter reservari. » Hanc potestatem communi fere calculo Doctores denegant Episcopis, et Congregationes Concilii ac Supremae Inquisitionis propositionem asserentem Episcopis jus ordinarium dispensandi super impedimento publico dirimente, etiamsi celebrandi matrimonii gravis necessitas urgeat, tanquam falsam atque temerariam non semel proscripserunt. Relinquitur itaque, ut Episcopi ex solo Indulto Apostolico, quod Romanus Pontifex ex justa causa petentibus nunc magis, nunc minus amplum pro temporum et locorum varietate impertiri solet, aut ex indubia et in veterata consuetudine facultatem super uno aut pluribus impedimentis dispensandi consequantur. Indultum autem Apostolicum tantum tribuit potestatis quantum exprimit, et exspirat lapsu temporis praefiniti. Ex consuetudine vero Episcopi dispensant super impedimentis impudentibus, tribus exceptis, videlicet : 1. Impedimento orto ex sponsalibus validis quae altera parte invita remitti sine ipsius injurya non possunt. 2. Impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuae, aut ingrediendae religionis; haec enim vota nisi conditionata fuerint, Romano Pontifici reservata sunt. 3. Denique impedimento quod ex haeresi alterutrius contrahentis ortum habeat. Num autem ex consuetudine nancisci Episcopus possit jus dispensandi super aliquo impedimento publico, quod matrimonio valide contrahendo obsistat, abunde disputavimus in Jure pub. Ecclesiastico § 54. At vero si agatur de matrimonio jam publice contracto, certum est ex consensu omnium Doctorum Episcopos dispensare posse super impedimento dirimente, propter quod matrimonium idem invalide contractum sit, his tamen circumstantiis simul concurrentibus : Ut 1. Matrimonium in faciem Ecclesiae omnibus adhibitis solemnitatibus et bona fide celebratum sit et consummatum. 2. Impedimentum sit occultum. 3. Conjugum separatio sine scandalo fieri ne-

queat. 4. Ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas adiri facile nequeat Sedes Apostolica, et dispensatio ab ea obtineri. Non desunt tamen Auctores, qui eamdem facultatem pro matrimonio etiam contrahendo Episcopis asserunt, quando videlicet impedimentum est occultum, et urgent circumstantiae rerum, ut neque Summus Pontifex adiri, neque matrimonii contractus, ad quem omnia parata sunt, sine scandalo et infamia differri possit. In eo enim urgentissimae necessitatis eventu, dum alius ad praecavenda tot mala non suppetat modus, potestatem dispensandi ex praesumpta Romani Pontificis voluntate Episcopis tribuunt plerique Doctores; quin haec opinio hodie fere communis est. Nulla enim ratione credi potest in iis circumstantiis privative reservatam Pontifici potestatem, quam a Christo Domino in commune animarum bonum accepit, quum id non solum aduersaretur reservationis fini, qui est, ut scandala peccandique pericula a fidelibus evitentur, tum etiam maternae providaeque Ecclesiae gubernationi, quae ex Apostolo potestatem suam non in destructionem, sed in aedificationem animarum accepit. Confer S. Alphonsium de Ligorio de Matrimon. lib. 6 cap. 3 dub. 4 n. 4122, 4123 et seqq.

Dispensationes matrimoniales sine legitimis causis non impertiriuntur. Si matrimonium jam contractum ob impedimentum latens nullum sit, causa pro obtainenda dispensatione esse potest ignorantia, bona fides, aut metus, ne detrimentum aliquod, aut dissidium, aut scandalum excitetur, si non obtenta dispensatione matrimonium dissolvatur. Haec autem posterior causa deesse solet fere nunquam; vix enim ulla dissolvi possunt matrimonia jam contracta et consummata, quin gravissima mala subsequantur, quae per dispensationem impedirentur. Causae vero pro relaxandis impedimentis maxime publicis pro matrimonio contrahendo sunt : 1. Ob bonum pacis, hoc est ad extinguidas graves inimicitias, quae inter contrahentium parentes et consanguineos vel affines exortae

jam sint, quaeque celebratione matrimonii omnino compone-rentur. Haec causa vulgo appellatur propter inimicitias; eique affinis est altera causa ob confirmationem pacis dicta, quando nempe inter contrahentium parentes, consanguineos, et affines inimicitiae graves vigerint, et quamvis pax inter ipsos inita sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem quam maxime conduceret. Huc etiam refertur causa extinctionis litis super rebus gravis momenti, dum videlicet certum est per hujusmodi nuptias lites omnes diremptum iri. 2. Ob praerogativam dignitatis Regum et magnorum Princi-pum, quae causa non acceptancem personarum, sed publicum bonum spectat. 3. Ob excellentiam meritorum, dum aliquis contra fidei Catholicae hostes dimicando de Ecclesia benemeritus est. 4. Ob conservationem illustris familiae in eodem sanguine; itemque ob conservationem bonorum in familia, quae causae ad bonum publicum pertinere censemur, dum ex conservatione hujusmodi familiarum Respublica abundat viris nobilibus et locupletibus qui commodius eidem inser-viant. 5. Ob angustiam loci, quem mulier in loco ubi degit, propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel non affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire ne-queat. 6. Ob incompetentiā dotis, quando mulier attenta status sui conditione dotem habet minus competentem; quam-obrem innupta maneret, aut certe virum paris conditionis non inveniret, nisi nubat tali consanguineo vel affini suo, qui eam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducturus est; quae quidem causa magis urget, si mulier penitus indo-tata existat, et consanguineus vel affinis ad eam sic indotatam non modo in uxorem ducendam, verum etiam ad competenter ex integro dotandam paratus est. 7. Ob aetatem mulieris, quae 24 aetatis annum agit, aut etiam praetergressa est, nec virum sibi adjungere adhuc potuit: haec causa cessat in vi-dua. 8. Ob infamiam, quem scilicet vir et mulier consanguinei vel affines tanta consuetudine invicem usi sunt, ut orta

sit suspicio publica, licet falsa, quod se carnaliter cognove-rint; quapropter nisi matrimonium inter eos contrahatur, mulier graviter diffamata et innupta remaneret. 9. Ob copulam, dum nempe vir et mulier consanguinitate vel affinitate conjuncti, non quidem peccata data opera, ut criminē admisso Apostolicam Sedem ad misericordiam et gratiam erga se faciliorem redderent, sed solum vesana libidine victi car-naliter copulati sunt: unde si matrimonium non contra-hatur, mulier tum diffamata et innupta maneret, tum etiam gravia scandala possent verosimiliter exoriri. 10. Ob periculum vitae, dum scilicet uxoris parentes, aut fratres, aliive propinquī mortem minantur viro, nisi mulierem ipsam cum qua rem habuit, uxorem duxerit. 11. Ob periculum perva-sionis, quod locum habet cum iis qui in regionibus haereti-corum degunt: hae duae postremae causae omnium gravissimae habentur. 12. Denique personis nobilibus, aut valde honestis tribuuntur dispensationes *ex certis rationabilibus causis*, nulla singillatim expressa; quamobrem dispensationes sine causa dicuntur, non quod nulla causa subsit, sed quod nulla in specie exprimatur. Executor autem eas causas nec scrutari, ac ne inquirere quidem debet; reliqua tamen utrum veritate nitantur, diligenter investigabit.

Praeter potestatem in dispensante et justam causam dis-pensandi, postulatur etiam ad dispensationis validitatem con-sensus ipsius dispensantis. Deficit autem hujusmodi consensus si quid necessario exprimendum reticeatur, aut si quid a ve-ritate alienum exprimatur: exploratum est enim dispensan-tem nolle gratiam facere dispensationis deficiente veritate. In primis itaque cavendum est, ne causae pro dispensatione obtinenda adductae aut subreptionis, aut obreptionis vitio la-borent. Similiter canonicum impedimentum in specie expo-nendum est, et si plura impedimenta concurrent, singula distincta explicanda sunt, veluti si Oratores consanguinei sint et affines simul, tum quia concursus plurium impedi-men-

torum multo difficiliorem reddunt dispensationem, tum quia cuique dispensationi tacita conditio inest « nisi aliud impedimentum obstet. » Praeterea si dispensatio super consanguinitatis impedimento petatur, haec insuper aperienda sunt : 1. An impedimentum occultum sit vel publicum. 2. In quo gradu sit consanguinitas. 3. An ex uno, an ex pluribus stipibus proveniat. 4. Utrum in linea recta vel transversa. 5. Utrum aequalis sit, vel inaequalis lineae transversae gradus. 6. Si gradus inaequalis sit, uterque exprimi debet, proximior videlicet et remotior. Si tamen contrahentes inaequaliter conjuncti sint, et expressus fuerit tantum gradus remotior, reticito proximiore, dispensatio valida est, dummodo proximior gradus non sit primus gradus; idque ex Constitutione S. Pii V incip. SANCTISSIMUS edita die 20 Augusti 1566. Eadem omnia exprimenda sunt, si super affinitatis impedimento dispensatio petatur; et illud insuper explicandum est, utrum affinitas ex licita, an ex illicita copula exoriatur. Hic autem quaeri solet, an copula incestuosa necessario exprimenda sit. Pontius lib. 8 de Matrim. cap. 47 § 6 existimat dispensationem ad contrahendum cum affini vel consanguinea matrimonium, non facta carnalis copulae mentione, non esse subreptitiam, et proinde validam; « quia copula illa carnalis, » ut ipse inquit, « si fuisse expressa faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendam dispensationem. Quando autem tacetur veritas, quae si fuisse expressa, faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendum rescriptum, non censetur subreptitium juxta doctrinam Glossae in cap. SUPER LITTERIS de re scripta verbo litteras : quae Glossa est communiter approbata. Atque hoc quod de copula diximus, sine dubio verissimum fuit ante Concilium Tridentinum, ut docet Navarrus in Manuali latino cap. 2 n. 86, et in cap. SI QUANDO de Rescript. in 4 exceptione. » Cum autem Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 5 de Reform. Matrim. decreverit, ut qui intra gradus prohibitos matrimonium non tantum con-

trahere, sed etiam consummare ausi fuerint, separantur, et spe dispensationis consequendae careant; hinc multi Doctores colligunt copulam experimendam esse, cum incestuosi ex praedicto Decreto indigni esse videantur, qui dispensationem obtineant. Itaque Pontius cit. loc. sic prosequitur : « Neque obstat textus dicti Concilii Trid. cap. 5 sess. 24 de Reform. Matrim.; nam expresse loquitur, quando inter prohibitos intervenit copula carnalis cum animo de facto consummandi matrimonium antea inter illosscienter contractum. Nam quemadmodum matrimonium ipsum scienter contractum reddit difficilem dispensationem, sic a fortiori reddere debet difficiliorem, si fuerit copula carnali consummatum. Id quod etiam ante Concilium Tridentinum dicendum erat ex bene fundata Juris Pontificii doctrina. Unde colligitur, quod Concilium Tridentinum nihil innovare voluit, quando copula carnalis intervenit sine matrimonio. » Eamdem sententiam acriter tuetur Vicentius de Justis in suo Tract. de dispens. Matrim. lib. 1 cap. 4, ubi multis cumulatis rationibus et auctoritatibus concludit : « Non esse necessariam dictae copulae expressionem in dispensatione obtainenda, si Oratores aliam causam habeant, quae moveat Pontificem ad dispensationem concedendam. » Verum haec non obstant, quominus contraria sententiam amplectamur. Nam praxis Romanae Curiae ea est, ut incestuosa copula in precibus supplicationum exprimatur; secus enim petitio et dispensatio subreptitia et invalida existimatur. Hinc Pyrrus Conradus, hisce in rebus multum et praeclare versatus, lib. 8 Dispensat. Apostolic. cap. 1 asserit, hanc certam sententiam et stabilem in Romana Curia esse, eamque confirmat sequenti declaratione Congregationis Concilii : « Congregatio Cardinalium Concilii censuit dispensationem subreptitiam esse, si inter consanguineos et affines, aut spirituali cognatione conjunctos carnalis copula praecessisset, eujus mentionem in supplicationibus non fecissent. » Quin dispensatio subreptitia habetur, si copula non praees-

serit, sed litteras dispensationis subsequuta sit, antequam ipsas litteras Ordinarius exsequutus fuerit et dispensationem impetraverit, quia, ut ait Sylvius Resolut. variar., verb. *dispensatio*: « Ut bulla mandari possit executioni, oportet casum qui in ea proponitur manere invariatum, quoad que ipsa sit executioni mandata. » Copulam vero supervenientem post dispensationem ab Ordinario factam non impedire matrimonii validitatem declaravit eadem Congregatio Concilii apud Garziam de Benef. part. 8 cap. 3, ubi plura ad rem congerit. Similiter si Pontifex non in forma commissaria, sed in forma gratiosa litteras dispensationis dederit, hoc est absolute et immediate per se ipsum dispensando, copula superveniens matrimonio valide ineundo non obsistit. Oportet autem in exprimenda copula, ut illud etiam exprimatur, an sola libidine habita sit, an sub spe facilius obtainendae dispensationis: sic enim dispensatio aut nullo pacto, aut difficultius conceditur, ne facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi. At vero si qui super aliquo impedimento publico dispensationem consequuti sint, nulla facta mentione carnalis copulae occulta maneat, validitati matrimonii contracti vel contrahendi prospicitur per occultam dispensationem a S. Poenitentiariorum obtainendam. Porro executor dispensationis matrimonialis contra jus et fines mandati ageret interrogando dispensatos, an carnalem copulam habuerint; etenim inquisito criminis fieri nequit, nisi infamia praecesserit ex cap. INQUISITIONIS. 21 de Accusat. et Inquisit. neque ad executorem seu Judicem delegatum spectat cognitio rei, de qua in Rescripto nulla mentio habetur, cap. CUM OLIM. et cap. VENERABILI de Offic. et potest. Jud. deleg.

Pro dispensatione super reliquis Impedimentis matrimonii haec sunt praecipue exponenda. In cognitione spirituali praeter expressionem copulae, si habita sit, exponendum est, an sit paternitas et filiatio spiritualis, an compaternitas et comaternitas; siquidem aut nunquam, aut raro admodum dis-

pensatur, si cognatio sit inter levantem et levatum. In crimini impedimento explanandum est, an proveniat ex solo adulterio et fide data, an machinatio aliqua ex parte utriusque, vel alterutrius intercesserit, an effectum sortita sit, an denique vivente adhuc legitimo Coniuge cum adultero vel adultera matrimonium attentatum sit. In impedimento publicae honestatis explicandum est, an haec ex Sponsalibus de futuro, an ex Matrimonio rato ortum habeat; namque in primo casu gradum explicare non oportet, quum publica honestas primum gradum non excedat; at in altero casu gradus probe explanari debet, itemque linea; quo enim gradus proximior est, eo difficilior dispensatio.

Haec autem omnia praecipue spectant matrimonium contrahendum; ubi vero agatur de revalidando matrimonio jam contracto, quod propter impedimentum aliquod nullum sit, praeter expositionem impedimenti in sua specie, gradu, linea et origine, declarandum adhuc est: 1. An matrimonium ipsum bona unius, vel utriusque fide. 2. An spe dispensationis facilius obtainendae. 3. An publice praemissis vel omissis denuntiationibus contractum fuerit. 4. Denique an fuerit consummatum. De his plura dabunt Practici, et in primis Pyrrus Conradus in Praxi Dispensat. Apostolic.

CAPUT X.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

§ 194.

DE UNITATE MATRIMONII.

Jam superest ut de Matrimonii proprietatibus atque effectibus dicamus. S. Augustinus tria bona Matrimonii ex Scri-